Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31313
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum dne. Sec.

Hostias tibi domine laudis quas tibi offerimus ut nobis eas proficiant ad salutem. Per dnm nostrum ihesum xpm filium tuum qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti deus per omnia secula seculorum. Amen. Prefatio. Vere dignum et iustum est equum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere domine sancte pater omnipotens aeterne deus per xpm dnm nostrum. Per quem maiestatem tua laudant angeli adorant dominationes tremunt potestates celi celorumque virtutes ac beata seraphin socia exultatione concelebrant cum quibus et nostras voces ut admitti iubeas deprecamur. Supplici confessione dicentes. Sanctus. Canon. Te igitur clementissime pater per ihesum filium tuum dnm nostrum supplices rogamus ac petimus uti accepta habeas et benedicas hec munera hec dona hec sacrificia illibata in primis quae tibi offerimus pro ecclesia tua sancta catholica quam pacificare custodire adunare et regere dignaris cum famulo tuo papa nostro ill. et antistite nostro ill. et omnibus orthodoxis atque catholicae et apostolicae fidei cultoribus. Memento domine famulorum famularumque tarum ill. et ill. et omnium circumstantium quorum tibi fides cognita est et manifesta pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro redemptione animarum suarum pro spe salutis et incolumitatis suae tibi reddunt vota sua eterno deo vivo et vero communicantes memoriam venerantes in primis gloriosae semper virginis marie genitricis dei ihesu xpi filii tui dni nostri sed et beatorum apostolorum ac martirum tuorum petri et pauli andree iacobi iohannis thome iacobi philippi bartholomei matthei simonis et thaddei lini cleti clementis xisti cornelii cipriani laurentii chrisogoni iohannis et paulorum cosme et damiani et omnium sanctorum tuorum quorum meritis precibus concedas ut in omnibus protectionis tue muniamur per. Hanc igitur oblationem seruitutis nostre sed et cunctae familie tue quam tibi offerimus pro quibus tibi offerimus ut nobis eas proficiant ad salutem. Per dnm nostrum ihesum xpm filium tuum qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti deus per omnia secula seculorum. Amen. Qui pridie quam pro nostra omnium salute passurus hoc est hodie cum discipulis suis caenaret accepit panem in sanctis manibus suis et elevatis oculis ad celum tibi deum patrem suum omnipotentem gratias agens benedixit fregit et porrexit discipulis suis dicens. Accipite et manducate ex hoc omnes hoc est enim corpus meum quod pro multis confrangitur. Simili modo postquam cenatum est accipiens et hunc praeclarum calicem in manibus suis item tibi gratias agens benedixit dedit discipulis suis dicens. Accipite et bibite ex eo omnes hic est enim calix sanguinis mei novi et eterni testamenti mysterium fidei qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Haec quotiens feceritis in mei memoriam facietis donec veniam. Unde et memores sumus domine nos tui famuli et plebs tua sancta eiusdem christi filii tui dni nostri tam beate passionis nec non et ab inferis resurrectionis sed et in celum gloriosae ascensionis offerimus praeclarae maiestati tue de tuis donis ac datis hostiam puram hostiam sanctam hostiam immaculatam panem sanctum vitae eternae et calicem salutis perpetuae super quae propitio ac serenio vultu respicere dignare sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti abel et sacrificium patriarche nostri abrahae et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus melchisedech sanctum sacrificium immaculatam hostiam supplices rogamus ac petimus ut iubeas haec perferri per manus angeli tui sublime altare tuum in conspectu divinae maiestatis tue ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filii tui corpus et sanguinem sumpserimus omni benedictione celesti et gratia repleamur per eundem xpm dnm nostrum. Per quem haec omnia domine semper bona creas sanctificas vivificas benedicis et praestas nobis. Per ipsum et cum ipso et in ipso est tibi deus pater omnipotens in unitate spiritus sancti omnis honor et gloria per omnia secula seculorum. Amen.